



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. Nomen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

LIBER SEXTVS.

De Imperio Moschouitico.

CAPVT I.

Historica Moschouiae descriptio.§. 1. *Nomen.*

HÆc vastissima Regio dicitur RYSSIA ALBA & MOSCHOVIA. Et *Russia* quidem à Russis populis, seu Ruthenis, seu Roxolanis, de quibus egimus in origine Polonorum, & in Sarmatiâ: *Alba* autem vocata est non propter niues, ut quidam crediderût, sed à Galeris Albis quibus vtuntur, vt *Zagathæi virides* dicuntur à viridi *Tulipano*. Moschouiam verò quidam à Modicis antiquis Sarmatiæ populis deflectunt, perperam, satius est ad antiquos Moschos recurrere, quos circa Phasidis fontes collocat Mela, aut ad Moschicam Regionem Strabonis inter Colchidem, Iberiam & Armeniam. Indigenæ se nomen habere putant à Fluvio *Mosqu* Moskuam vrbem alluente.

§. 2. *Quantitas.*

Longitudo Geographica minor est quàm *latitudo*; hæc autem sicut sumpta desumitur ab oppido *Lubuc*, in Palatinatu Kiouiæ, ad Carrambycis ostium vulgo *Oby*. Quæ distantia ad maiorem circulum reuocata dat 28. gradus cum dimidio, ac proinde milliaria 1681. leucas nostras 840 $\frac{1}{2}$, Germanicas 420 $\frac{1}{4}$, Moschouitica *Vores*, seu *Virſt* 2280.

Longitudo verò Geographica consideratur ab Occidentali parte Ducatus Plescouiensis, ad arcem seu castrum *Voloch* ad Tingoësos, quæ amplitudo reducta ad circulum maximum dat 25. gradus cum $\frac{1}{2}$, igitur milliaria 1501. leucas Francicas 750 $\frac{1}{2}$, Germanicas 375 $\frac{1}{4}$, Russica *Vores* 2040.

Ff ij